

Sed antequam hac in re ulterius progrediamur, opus est, ut, quae in universum hucusque neglecta sint, deinceps videamus; unde, quae ad juvandum quaestum oeconomiae augendamque scientiam conferant, postea facilius demonstrare posse mihi videor. *Impedimenta* igitur duplicis sunt generis, *tum* quae ad exercendum quaestum, *tum* quae ad amplificandum doctrinae ambitum pertinent. Quae si tolluntur, non dubium est, quin agricultura brevi multo melior futura sit, et ad utilitatem fructuosior.

Ac primo quidem reputantibus nobis, fundorum in quaque civitate partem esse maximam et nihilominus iniquissimam eorundem conditionem, et eam usu sancitam et legibus, non mirum potest videri, quod et apud reliquos cives ipsi quoque rustici exiguo sint in honore, et metus sit, ne, si minus excolant animum, damnum afferant civitatibus. Neque tamen non est perspicuum, rusticos, quod cum reliquis hominibus nulla, ut nunc sunt tempora, consuetudine fruuntur, optima illa cultrice animorum et magistra, sua quoque in re lentius proficere. Sed quid tandem est, quod, qui ex aliis quaestibus vitam sustentant, rusticis anteponantur, num quod in oppidis vivunt, an quod melius morati sint, aut quod plus afferant civitatibus utilitatis?

Concessa rusticis majori libertate sine dubio quaestus prudentius exercebitur. Operarum enim viribus rectius collocatis messes largiores, melior res pecuaria, cultioresque futurae singulae quaestus partes, pomorum, herbarum officinalium, mercatoriarumque, v. c. Nicotianae, lini, cannabis, humuli, resedae, isatis, sinapis, plantatio. Haud raro enim accidit, ut rusticorum fundi aliorum agriculturalium, praesertim conductorum, majoribus longe sint praestantiores. Ex quo patet, non prius, quam si rusticorum fundi servitute omnis generis liberentur, ab hoc longe uberrimo fonte fructum ad rem publicam satis magnum esse redundaturum.

Deinde hoc imprimis urgendum incommodum est, quod a vectigalium et, belli tempore, a com meatuum imperatorum inaequaldispensatione proficiscitur. Sic enim fit, ut tot agricolae in bello